

versalis in Episcopatu, non negligat perpetuo mente tenere præcepta, *D. Pauli ad Timotheum Epist. 2. c. 4.* (*Insta oportune, importune, argue obsecra, Increpa, in omni patientia, & doctrina, quæ omnia si exactè servaverit, officium Poenitentiari laudabiliter se explevisse cognoverit, nec Deo rationem reddendi supererit causa in finali Judicio.*

70 Canonicus autem Theologus, qui juxta *decretum Concilii Trid. sess. 5. cap. 1. de reformatio-*, præbendam Theologalem consequens est, cum teneatur alios docere, & magistrali munere publicè fungi, diligens esse debet in studio sacrarum literarum, & ei negligere hoc studium, valde culpabile reputabitur.

71 Hoc studium tres habet partes; prima est respiciens interpretationem Sacrarum scripturarum, & de hac principaliter loquitur *Concilium Trid. dicto loco sess. 5. c. 1. de reform.*, secunda pars respicit Sacras Theologicas disputationes, metodo speculativa in scholis exagitatas, qua methodo Canonicus Theologus legendo, & docendo satisfaciet muneri suo refert decisum *Garzias de benefic. p. 5. c. 4. num. 156.*, *Barbosa ad Concilium Trid. dicto c. 1. num. 39.*; tertia pars est, quæ dicitur Theologia moralis, & de casibus conscientiae, ex professo tractat, & in hac parte, multum infudare debet Canonicus Theologus ad instruendum Clericum, ut apti fiant ad audiendas confessiones, & Ecclesiæ parochiales regendas, & in hoc studio maxima requiritur diligentia, ne docens incidat in illud. Ve appositum in Sacra Scriptura, nempe Ve qui dicit

De Negligentia Clericorum, & Sacerdotum.

S U M M A R I A.

- 1** Clerici, & Sacerdotes, quamquam negligentes, & ex eo gravius peccent, quam Laici, tamen adhuc in honore sunt habendi.
- 2** Clericus bæres, negligens in confiendo inventario, amittit beneficium cap. *Odoardus de solut.*
- 3** Vocatus coram Judice non competente, non opponens exceptionem incompetentiae, tene-

- tur ad expensas.
- 4** Punierundus est Clericus pena extraordinaria, si citatus criminaliter coram Judice seculari non opponat declinatoriam.
- 5** Ex Negligentia Sacerdotis, si aliquid de Sanctissimo Sanguine spillaverit, qua pena puniendus.
- 6** Et qua pena, si negligens sit in custodia Sanctissimæ Eucaristie.

7 Cl-

malum bonum, & bonum malum, tum quia materia adeo latè patet, ut posset dici infinita, tum quia humanæ actiones, quæ sunt materia hujus facultatis, sunt finè numero, tum quia ferè singulæ diversis circumstinentur circumstantiis, tum quia adeò diversificant Doctorum sententiaz, ut meritò post plurimos labores, & sudores in studio possit dicere, Vix cœpi.

72 Poterit negligentia culpari, si continuatè non legat, & doceat toto tempore ad legendum destinato, Vacare tamen poterit tribus mensibus, nempe Julii, Augusti, & Setembris ad allegata per *Barbosam de Canonicis c. 27. num. 27.*, & ex antiquissima consuetudine in hac Cathedrali Ferrariae Theologus vacat etiam Mense Octobris, accommodando se Universitati Almi Studii ejusdem Civitatis, in qua Doctores legere exordiuntur post festum Omnis Sanctorum.

73 Ut autem auditores ei plenam fidem præstet, & proficiant, maximè in moralibus, non negligat Canonicus Theologus se ostendere Justitiæ, honestatis, & probitatis amatorem, quomodo enim credituri sunt, quod dicit, si moribus contradicit, ac timere debet, quod Spiritus Sanctus per Os David intonuit. *Psal. 49.*, Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et Gregor. in homil. 12. in Evangelium, (cujus vita despiciuntur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur, & Jo. 8. Christus ait) Qui sine peccato est Vestrum primus in illam lapidem metat.

7 Clericus non studens, ac propterea ignorans necessaria ad suum statum, summopere culpabilis est.

8 Negligere vestitum decentem Clerico, est virtutem negligere.

9 Clericus non negligens, quæ sunt mundi, mundum potius diligere, quam Dei famulatum, convincitur.

10 Sacerdos omittens summere in sacrificio Missæ utramque specim, qualiter puniatur.

11 Non sufficit Clericis vivere, sicuti probati laici, sed requiritur, ut præstantiores virtutes profiteantur.

12 Recusans ex inertia, & negligentia sustinere munera Ecclesiastica, culpatur à D. Augustino, & convincitur amare se, non verò Christum.

13 Qui negligit Ecclesiæ ministerium, propter negotia secularia, tamquam de damnabili culpa reus est corripiendus.

14 Negligens horas canonicas recitare præter culpam mortalem, si beneficiatus, non facit frustus suos.

15 Neque excusat à restitutione, si die sequenti bis recitaret horas canonicas.

16 Maledictionem in Sacerdotes negligentes profetavit Malachias.

17 Sacerdotes negligentes sacros ritus, sunt graviter corripiendi ab Episcopo, & gravis est

negligentia, si celebret sine ueste talari.

18 Et correptione digni sunt, qui celebraturi colaria deponunt.

19 Causa propter quam multoties monendi sunt, ut à negligentia resipiscant, metu pœnae.

20 Clericus concubinarius monendus, alias non abstiens punitur, juxta *decretum Concil. Trid.*

21 Ad effectum puniendi non sufficit paternam monitio, nec sufficit monitio generalis in Synodo, vel Edicto: num. 22.

22 Nisi concubinatus esset notorius.

23 Vel concubina sit domi retenta, vel extra.

24 Tres requiruntur monitiones.

25 Si verò Episcopus velit aponere aliam pœnam, quam Concilium decernat, tunc attento Ju- re communi aliter est procedendum, & n. 27.

26 Præmonitiones non requiruntur, ad effectum carcerandi Clericum, suspectum de concubinatu.

27 Præmonendus est Clericus exercens artem for- didam, qui si non cesset negligens punitur.

28 Ita, & Clericus negotiator est præmonendus.

29 Vel si exercet artem Hispionatus.

30 Negligens elemosinam facere de redditibus be- neficii graviter culpatur.

31 Sacerdos qui recepit loco elemosinæ duas du- plas aureas, qualiter debuisset diligenter in- quirere de intentione dantis.

ARTICULUS VIII.

De Negligentia Clericorum, & Sacerdotum.



Uamvis Clerici, & Sacerdotes negligentes sint, adhuc in honore habendi, ut dicit *Concilium Aquileianum Ludovico Pio Imperatore celebratum* per hæc verba (licet Sacerdotes in multis sint negligentes, non tamen vituperandi, nec despiciendi, sed propter illum cuius ministerium gerunt au- diendi, ac congruo honore venerandi) tamen propter negligentiam, tanto magis sunt cul- pabiles, & puniendi, ita ut Beda in *Matebum relatus in c.* nec sufficere nobis (id est Clericis) ad salutem arbitramur, si turbis negligentium, vel quorumlibet indoctorum fide, vel actibus adequemur) quia major diligen- tia, & in rebus fidei, & in Sacris litteris à Clericis adhibenda est, quam à tur-

bis, ac propterea Clerici fugere debent ocium, nam multam malitiam docuit oco- ficas, Ecel. 38.

2 Clericus de negligentia culpatur, ut hinc exordiar, ex propria persona, institutus hæres, non conficiens inventarium, sique in hoc negligens, non gaudet beneficio, c. *Odoardus de solut.*, sed tenetur ultra vires hæreditarias ad tradita per *Sperellum de- cis.* 135. num. 21.

3 Secundò; Coram Judice incompetente vo- catus, non opponens de incompetencia, & sic negligens, tenetur ad expensas actori, *Bellel. disq. cleric. p. 1. tit. de favore clericali personali* §. 2. num. 20. per tex. in c. exceptionem, & ibi glos. in *Versie. condemnandus de exceptionibus*.

T 2

4 Ter.

- 4 Tertiò ; Clericus citatus criminaliter coram Judice Seculari , non opponens declinatoriam fori , puniendus est à suo Episcopo poena extraordinaria , Bellet. disquisit. Cleric. p. 2. §. 11. num. 4. , & dixerat in p. 1. tit. de favore cleric. personali §. 2. num. 14.
- 5 Quartò ; Si negligentia Sacerdotis , aliquid de Sanguine Domini stillaverit in terram , quadraginta dierū pœnitentia punietur , si super Altare tribus diebus pœnitentia , si super linteum , & ad aliud stilla pœniverit , quatuor diebus , si usque ad quartum viginti diebus , qualiter autem debeat stillas lambere , aut linteamina abluere , id totum per extensum habemus in c. si per negligentiam de consecrat. dist. 2. , ubi Barbosa notat , quod canon potius ad forum conscientiæ respicit , quam judicariū , idè in foro externo , Judex poterit arbitrio pœnam augere , vel diminuere attentis circumstantiis negligentiam Sacerdotis aggravantibus , attento scando , & adstantis populi notitia .
- 6 Quintò ; Sicut , & negligens Sacerdos in custodia Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ , simus , vel aliquod aliud animal illud comedenter , quadraginta diebus pœnitentia , qui autem perdiderit illud in Ecclesia , aut pars ejus ceciderit , & non inventa fuerit , triginta diebus pœnitentia , ita statuit Concilium Arelatense relatum in c. qui bene de consecrat. dist. 2.
- 7 Sexto ; Ignorantia , quæ est effectus negligentiae , ut diximus parte 1. , hujus tract. , in Clerico est sumimopere culpabilis , idè Clerici semper debent litteris insudare , semper diligenter studere , quapropter Hieronymus relatus in c. Sic vive 16. quest. 1. , ait (Sic vive in monasterio , ut Clericus esse merearis , multo tempore disce , quæ postmodum doceas sīta ut Augustinus Epist. 75. ad Auxilium Episcopum relata in c. Si habes ad medium 24. quest. 3. , dicat se paratum semper discere , non solum à Seniore , sed etiam ab Anniculo , ut Clericali muneri non deesset , negligere ergo studium scientiarum in Clerico valde damnabile est ; Ideo Leo Papa relatus in c. si in laicis dist. 38. , ait , si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia , quanto magis in iis , qui præsumt , nec excusatione digna est , nec venia , & Cœlestinus relatus in c. Nulli Sacerdotum eadem ; Nulli Sacerdotum , licet canones ignora-

re , & Hieronymus Epist. ad Eustochium dicit (Ignoratio scripturarum ignorati Christi est) , & Gregor. in Pastorali p. 1. c. 1. , qui ea quæ Dei sunt nesciunt , à Deo nesciuntur .

- 8 Septimò ; Moles vestes , & nimis cultæ , aut breviores mentem Clerici incultam virtutibus , & neglectam satis patefacere notavit Diuus Bernardus , scribens Apologeticum Opusculum ad Gulielmum Abbatem col. 7. , debent enim in habitu , & incessu , & moribus professionem suam repræsentare , c. Clericus dist. 41. , c. Jus igitur dist. 23. , c. Ecclesiæ dist. 35. , c. Episcopus dist. 41. , idè que negligere hanc Sacrorum canonum observantiam , non levia secum trahuntur , quæ clericalem vitam , modestiam , & honestatem commaculant : Joannes Chrysostomus relatus in c. Quis aliquando depenit. dist. 1. , ait , Clericos post peccatum tardiores , & negligentes esse , ad pœnitentiam converti , itaut glossa in Versic. Gloriam , notet ex eo capite , quod in hoc Clerici sunt laicis deterioriores ; Qui propter Diuus Ambrosius relatus in c. Quid autem 8. quest. 1. , ait , quod ipse convincitur à populo , cum in hac parte (scilicet in correctione) (Clericos populo magis videret negligentes) & Beda super Mattheum relatus in c. Nec sufficere 8. quest. 1. , si Clericus , vel Episcopus negligentium actibus adæquetur , quod etiam supra notatum est .

- 9 Clerici dum Capillorum tonsione coronantur , mundi vanitatibus separari ; Notat enim Gregor. lib. 10. moral. c. 22. ad illud canonicum , Fortis est ut mors dilectio , quia sicut mors à Mondo separat , ita , & vera supernorum dilectio , qui ergo Clericus hæc , quibus vale dixerat , non neglit , sed potius spiritualia remissius , ac negligentius considerat , mundum potius diligere convincitur , cui renunciavit , quam Dei formulatum , quod in sacra ordinatione suscepit .

- 10 Delinqueret graviter Sacerdos , si celebrans Missæ sacrificium Sacratiſſimam Ostiam , Calicisque consecratam materiam sumere omittaret , non enim Sacrificium compleret , ac propterea pro tanto delicto à celebrationē Missæ per annum effet suspendendus , ex decreto Concilii Toletani relato in c. Relatum est de consecrat. dist. 2.

- 11 Error notandus in pluribus Sacerdotibus , & Clericis , qui existimant partes suas im-

plevisse

- plevisse , si laicali probitate vivant , negligendo consequenter præstantiores præfere virtutes , contra quos succenditur meritò , Hieronymus relatus in c. Qualis 8. q. 1. dicens , quod vehementer Ecclesiam Christi defruct , meliores laicos esse , quam Clericos ; Unde non solum Episcopi , Præbiteri , & Diaconi debent magnopere providere , ut cunctum populum , cui præsident , conversatione , sermone , & scientia præcedant , verùm etiam , & inferioris gradus Exorcistæ , Lectores , Aeditui , Accoliti , & omnes omnino , qui domui Dei serviunt .

- 12 Non desunt ex Clericis , & Sacerdotibus , qui ob meram dessidiam negligunt officiū , otioque tabescunt , recusantque labore teriti ministeria suscipere Ecclesiastica , at istorum negligentia à B. Augustino Epist. 81. ad Endoxium , relatus in c. Vos autem 16. q. 1. , per hæc verba corripitur (Vos autem fratres exortamur in Domino , ut propositum vestrum custodiatis , & usque ad finem perseveretis , ut si quam operam vestram Mater Ecclesia desideraverit , nec elatione avida suscipiat , nec blandiente dessidia respuat , sed mites corde obtemperetis Deo , cum Mansuetudine portantes eum , qui vos regit , qui dirigit mites in iudicio , qui docet mansuetos vias suas , nec vestrum ocium necessitatibus Ecclesiæ præponatis , nam commune commodum , utilitas , & necessitas , privato commodo , & utilitati præferendum , semper docuit Imperator in l. unica §. fin. C. de caduc. tol. , & l. si quando concessa C. de oper. publ. Quia si is , qui valet , omnipotens oves renuit pascer , ostendit se , non pastorem summum amare , scripsit Gregorius relatus in c. In scripturis 8. quest. 1. , ubi glos. in Verbo minime , dicit , quoad Clericus , qui est idoneus ad munera Ecclesiæ , subcunda ex negligentia respuit , mortaliter peccat , & post Hugonem , Turrecrem. in præcitatō c. Vos autem fratres sub num. 2. , & Diuus August. 19. de Civitate Dei , ait) Negotium iustum suscipit necessitas charitatis ; Plurimorum enim utilitas unius utilitati præferenda est) ait , Pelagius Papa relatus in c. Scias Frater 7. q. 1. 13 Si contingat Clericos secularibus negotiis attentius vacare , divina verò officia negligere , Ecclesiæque ministerium derelinquare de tali , ac damnabili negligentia corripiendos scripsit Pelagius Papa in c. Eleutherius frater dist. 91.

- 14 De Negligentia Clericorum , qua in sacro ordine sunt initiati , aut Beneficiati , in recitandis horis canonicas , si eas omittat , vel in totum , vel in partem notabilem , quod peccent mortaliter , est in confessum apud omnes , sicuti etiam , quod Beneficiarius teneatur ad restitutionem fructuum Beneficii correspondentium pro rata divino officio omisso ex constitutione Pii V. , ita ut si partem omittat minorem ratam , si verò totum , majorem ratam restituere teneatur , & videndum est Bonacina de horis canonicas d. 1. q. num. p. 4 sub nu.

28. Vers. dixi saltē regulariter , & vers. dico pro rata , & latius q. 5. p. 2. per totum , sed potissimum num. 13. , quod limita in casu quo quis obtinuerit Beneficium nulliter , ex quoquaque capite resultet nullitas , quia tunc , cum non faciat fructus suos , neque potest teneri ad restitutionem , quæ præcedentem supponit assequitionem , vel de jure , vel de facto . Diana p. 4. tract. 4. resol. 146. Utrum autem qui non potest recitare totum officium , potest autem recitare partem , vel maiorem , vel minorem , ad eam teneatur , aliás negligentia reatum mortalem incurat , quod potest contingere per infirmitatem , ut si capite doleat , non potest matutinum recitare , quia in legendō multum patitur , potest verò recitare horas quæ memoriter recitat , vel non habet integrum breviarium &c. , & respondeo teneri , quia cum officium sit divisibile , & ut divisibile respiciatur ab Ecclesia in suo præcepto , ita obligat ad totum , ut etiam obliget ad singulas partes , idè qui potest integrum recitare , & omittat partem notabilem mortaliter pecet , hinc merito damnata fuit die 2. Martii 1679. sub Innocentio XI. propositio dicens , quod qui non potest recitare matutinum , & laudes , non teneatur ad reliquas , quia cum horæ sint partes dividua à matutino , & laudibus , ad eas recitandas Ecclesiæ præceptum adstringit , ut explicat Cardenas ad eam propositionem , ubi limitat si nequeat recitare illam partem sine detrimento , vel periculo probali detimenti , in quo casu non est anxia scrupulositate insistendum .

- 15 Diana p. 9. tract. 9. resol. 24. proponit articulū , utrum , si Beneficiatus , qui hodie omisit recitare officium , cras , vel altero die recitet bis , semel nempè pro die currente , & se-

& semel pro die elapo, & in satisfactio-
nem omisi, an excusetur à restitutione,
ad quod aliquos doctores allegat afferentes
Beneficiatum, tunc excusari à restitutio-
ne, eo quia per iteratam illam recitationē
ponit aequalitatem, itaut verificetur, tot
recitasse officia, quot tenebatur, verū
benè resoluit, non excusari, quia cum onus
officii sit alligatum diei, non potest diebus
sequentibus suppleri, undē non milita pa-
ritas cum aliis obligationibus, quæ non sunt
alligatae diei, à qua restitutione excusan-
tur, qui justa ex causa excusantur à reci-
tatione horarum canonitarum, quia tunc
cessat negligentia, & omissione culpabilis, in
cujus pœnam imposita est restitutio; Ut-
rum vero tenuitas Beneficii, putà cujus
fructus non excedunt octo aureos, excusa-
ret ab obligatione recitandi divinum offi-
cium, itaut omissione non sit culpabilis, vi-
deantur allegata per Dianam p. 4. tract. 4.
resol. 146., ubi hinc indè probabiles afferit
opiniones, & p. 2. tract. 12. resol. 9. §. sed
si quereres, ubi etiam, quod nam dicatur
Beneficium tenuer ad hunc effectum.

16 Horrendum est, quod prophetavit Malachias c. 2. contra Sacerdotes negligentes in
Dei servitio, per hæc verba, (Et nunc ad
vos mandatum hoc à Sacerdotes, si nolueritis
audire, & si nolueritis ponere super cor, ut de-
tis gloriam nomini meo, ait dominus exercituū,
mittam in vos ægestatem, & maledicam bene-
ditionibus vestris, & maledicam illis, quoniam
non posuistis super cor, ecce ego proiiciam vobis
bracium, & dispergam super vultum vestrum
stercus solemnitatum vestrarum.

17 Sacerdotes, qui negligunt observare Sa-
cros ritus, tum in recitatione officii, tum
in celebratione Missarum, sunt omnino ab
Episcopis corrigendi, itaut Episcopus, non
corrigens mortaliter peccaret, propter gra-
vem jacturam, quæ sequeretur in ritu Ec-
clesiastico, scribit Pasqualig. de sacrificio nouæ
legis q. 824. num. 10. in fin. Ita pariter pec-
carent mortaliter Sacerdotes celebrantes in
hac Civitate, fine veste talari, propter ur-
gens præceptum Episcopale, tum in Syno-
do emanatum, tum per edictum reno-
vatum sub pena suspensionis, ipso facto
incurrenda, quæ pœna cum sit gravis,
importat præceptum obligare sub mortali,
ut comensuretur delicto, & licet (quod
non sine dolore exscribo) inveniantur Sa-

cerdotes in hac Civitate, qui non solum
moniti schedula de mandato Episcopi in
Sacristiis affixa, sed etiam voce piorum,
adhuc tamen negligunt obedire, sed veste
breviori utentes celebrant, quasi manda-
tum Episcopi nullius sit virtutis, & non
innitatur Sacri Concilii Trid. sess. 22. decre-
to de observandis, & evitandis in celebrazione
Missæ, ubi dicitur (decentè composito corpo-
ris habitu, quæ decens compositio qualis sit
declaratur in Rubrica Missalis p. 2. tit. 1. de
præparatione Sacerdotis num. 2. ibi (calceau-
tus pedibus, & indutus vestibus sibi con-
venientibus, quarum exterior saltem talū
pedibus attingat, ubi Gavantus notat,
quod antiquitus erat etiam talaris, & præ-
fus mandavit, Sixtus V. in sua constitutione
92. in bullario novo incipit, cum Sacrosantum
§. 2.) ubi non solum in actu celebrazione
Missæ, sed etiam extra decrevit, vestes de-
ferendas esse talares, ubi §. 3. sub poena
privationis beneficiorum, & pensionum
ipso facto incurrienda, Ricciul. de jure perso-
narum extra Ecclesiam lib. 7. c. 6. num. 8., &
Barbosa de potestate Episcopi alleg. 9. nu. 45.,
& mirum est, quod Sacerdotes celebratu-
ri adeò alieni sint à cognitione recti, ut
dum intendunt efficere Sacrifitium, quod
divinam placet justitiam, in se ipsos actua-
li crimine eam irritent, & dum pro alio-
rum salute deprecantur, propriam operen-
tur damnationem, sicut aqua Baptismi,
quæ dum abluit infantem, & ad Cœlum
dirigit, ipsa in cloacam descendit; ad quod
satis aptè scripsit P. Andreas Piscares Caſtal-
do Praxi ceremoniarum lib. 2. sec. 1. c. 8. nu.
1. §. n.

18 Et redargutione digni sunt qui collaria
ipsa sibi extrahunt ante paramentorum
sumptionem, Pax Jordan. lucebat. tom. 1.
lib. 4. tit. 1. num. 281. in fine, cum debeant
esse vestibus rectè compositi.

Ne quæsio negligent Sacerdotes hujusmo-
di monita, ne mortis tempore sera pæni-
tentia torqueantur.

19 Ad incurrendas alias pœnas pro deli-
ctis Clericorum à Jure impositas, non ex
alio capite prærequiruntur monitiones, nisi
quia ad eas incurrendas, requiritur neglig-
entia, qua scilicet Clericus monitus non
desistat à delicto, nec rescipiscat, ex qui-
bus colligitur, quod talis pœna imponitur
pro futura negligentia, fundata tamen, seu
radi-

radicata in delicto præterito, & de hoc plu-
res sunt casus.

20 Primus, in Clericis concubinariis, de qui-
bus Trid. sess. 25. c. 14., ubi, si à Superiori-
bus moniti se non abstinerint, tertia parte
fructuum, obventionum, ac proventuum
Beneficiorum suorum quorumcunque, &
pensionum ipso facto sint privati, ex qui-
bus notando ea verba (ab iis se non abstine-
rint), quod importat futuram culpam con-
sistentem in negligentia, in non parendo
monitionibus Superiorum, quæ monitio
substantialis est, & de forma ex allegatis,
per Sperell. decif. 125. à num. 13., & seqq.,
ubi num. 18., quod monitione omisla, nec
legitimè facta, Judex non agit, ut Judex,
sed ut persona privata, Barbosa in c. sicut,
num. 6. de cobabit. cleric.

Et tum maximè, & sinè dubio, quando
proceditur per viam inquisitionis, Sperell.
decif. 116. num. 15., ubi num. 17, id etiam
quando transgressio est negativè concepta,
(ut si non abstineris), quia tunc importat
negligentiam, & contumaciam in non pa-
rendo monitionibus, undē tunc maximè
est necessaria præmonitio, Riccius prax. au-
rea p. 3. resol. 311., Pænia decif. 658. n. 7.

21 Quæ monitio debet relaxari à Judice, &
debet legitimè exequi, nec sufficeret pa-
terna monitio extrajudicialis, eo quia ad
finem imponendi pœnam debet justificari
ex actis, Cerro decif. 53. num. 1., & decif.
197 num. 1., idè ad fiscum spectat pro-
bare, post monitiones Clericum perfe-
rassæ in concubinatu, Pænia decif. 581. sub
num. 23.

22 Qualis autem debeat esse hæc monitio, ad
effectum incurrendi eas pœnas, benè no-
tant Doctores, non sufficere monitiones
generales in Synodo, vel in Edicto factas,
quibus Clerici concubinarii moneantur, sic
in genere abstinere, vel à concubinatu,
vel ab in honestis, sed debeat esse monitio
spetialis in persona talis Clerici facta no-
minatim, ad tex. in Clem. 1. de vita, & ho-
nest. cleric., ubi glof. in V. Nominatim, Gu-
tieres. canonic. q. q. lib. 2. c. 7. num. 22., Fa-
rinac. fragm. crim. p. 1. littera C. num. 140.,
Bellot. disquisit. Clerical. de pœnis p. 2. §. 3.
sub num. 6., & act. de favore cleric. can. §. 4.
num. 46., Garzias de Benefic. p. 11. ex num.
186. declarat. 4., Riccius praxi aurea p. 1. re-
sol. 318. num. 31., Barbos. in collect. aposto-

licarum, decif. collect. 200. num. 4., & seqq.,
& in c. Sicut num. 6. de cobabit. cleric., Ge-
nuens in praxi. Neapol. cap. 38. de concubina-
riis num. 2., & 3. ex Sacra Congreg. ibi rela-
ta, ubi num 4. excipit ab hac regula, si
23 concubinatus sit notorius, quia Trid. non
loquitur de concubinatu notorio, immò vi-
detur notorium, ut si post dimissam concu-
binam, eandem repeatat, vel alias scanda-
losas mulieres sibi adjungere ausus fuerit,
tunc Episcopus ex eodem Trid. c. 14., sine
strepitu, & figura Judicii, & sola facti ve-
ritate inspecta, procedere potest, ut noto-
tavit Gutierrez. canonic. q. q. lib. 2. c. 7. num.
68., & 77., Farinac. q. 138. num. 81. & 85.,
licet etiam in delicto notorio, non posse
Clericum privari beneficio, nisi præcedat
trina monitio, post allegatos sustineat Bar-
bosa in c. Sicut num. 6. de cobabit. cleric., &
mulier., dicitur autem (notorius concubi-
natus) quando nulla tergiversatione cela-
ri potest.

24 Ubi est notandum, quod Concilium di-
cit (in domo, vel extra detinere) ex qui-
bus tollitur quæstio, an ad concubinatum
requiratur, quod Mulier in honesta sit Do-
mi propriæ concubinarii retenta, nam suf-
ficit in domo, vel extra, Barbosa in c. Sicut
num. 3. de cobabit. cleric.

25 Quot autem monitiones requirantur ad
constituendum Clericum concubinarium,
negligentem ad effectum incurrendi prædi-
cis Concilii pœnas, Zerola in praxi, in V.
Concubinarii in fine Ver. ad quartum, existi-
mat unicam monitionem sufficere, ex quo
Trident. simpliciter loquitur, quod vide-
tur sufficienter impleri per unicam moni-
tionem, verū communiter Sent. Docto-
rum allegatorum à Barbosa ad dictum c. 14.
Trident. sub num. 7., requirit trinas moni-
tiones, quia Concilium nihil spetiale in hoc
decernit, sed juri communi relinquit, à
quo requiritur trina monitio, c. Sicut ad
extirpanda, c. Quisquam, c. Si autem de co-
habit. cleric., & Barbosa in dicto, c. Si autem
num. 3., notat pro regula generali, quod
quando agitur de privatione bonorum, ut
ex Trid. in præsenti casu, semper requiri-
tur trina monitio.

Nec relevant in contrarium verba ejusdem
Con.